# DE DIVO ANTONIO THAUMATURGO PATAVINO SERMO CLERO BELLUNENSI

Pilono Piloni



# DE DIVO ANTONIO THAUMATURGO PATAVINO

## SERMO

## CLERO BELLUNENSI.

*Mirabilis Deus in Sanctis suis ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.* Psal. 67.



On primùm hodiernâ die Beatæ hujus lucis exortum, tantæ Sanctitatis spectamus fulgorem. Diù, multùmque est, quòd Sanctum, admirabile colimus Nomen; quòd piam claritatem miramur. Non labenti odore, non inani halant fragrantia Beata hæc Lilia; mirè redolent immortali, reduci semper honore. Puritate, celsitudine sua, unde nulli florum dignitas major, nec candor magis eximius, summum Pietatis gradum, singularem Innocentiæ præferunt nitorem. Quod igitur aliàs ornatu Templorum, laudationis elegantiâ sensimus in Festiva luce exhibitum oculis, frequenter & auribus; nunc utiliùs, & sanctiùs sumamus intimo aspectu, interiori auditu cordi, & menti spectandum, intelligendum. Cùm itaque præclaram, maximam Sanctitatem ANTONII antea semper habuerimus gaudio, & admirationi; nunc sincero cultu piorum

actuum, ac electorum operum, eamdem ipsam imitationi tribuamus. Fideli itaque prius precatione Tanti Tutelaris mansuetudinem sollicitemus, & clementiam; ut quos ipse dignos reddit recensere praeconia, & aptos faciat audita sectari. Interim, Fratres, dum afficimur laetitia beatas ferentes laudes, gaudeamus & fructu, mirabilia colligentes exempla; nec sanctius minus moribus, quam laudationibus adhaereamus. Ut non minus quoque mirabilem Illum in suis praedicemus operibus, quam sentiamus in nostro auxilio misericordem, & efficacem: Una facti auditores laudum, & operum sectatores.

Occidentali in plaga inocciduo nascitur ortu haec Pietas. Ubi reducis sarciuntur commercia lucis; & Sol surgit, unde occubuit, ortum, & meridiem reparans ab occasu; ibi, inquam, & ANTONIUS surgit, sospite Virtutum fulgore; ac clariori semper charitatis luce illuminans mentes; imitator Dominici cursus, ut & de ipso dicere quasi possimus: Hic ascendit super occasum, Dominus nomen illi; Veluti enim super occasum ascendit, cum ortus in occidente mirabiliter claritatem adauxit Charitatis, & Gratiae: & quasi Dominus, eum sui corporis recte tenens habenas, etiam spiritaliter mundo, & mirabiliter imperat Daemoni; affectuum, motuum suorum optimus moderator, & rector. Videamus modo, ut tantam ditionem tenuerit, ac tam admirabile sui administrarit imperium. Uti certius se tanto aptaret regimini; & citius suis subactis de hostibus referret coronam, sollicitam pugnam, tempestiva arma suscepit. In Infantia enim ipsa virili quasi spiritus fortitudine, ac virtute refulsit. Prius enim ubera suxit pietatis, quam Matris; ac alimenta habuit prius disciplinae, quam naturae;

curæ; à probitate nutritus moribus, & institutis. Proximè successit rudis, & imbellis ætas; & in hac piis liberis crevit exultus, velut adultâ quoque gaudens pueritiâ: Ubi sapienti auctu adolevit erudita innocentia, sic puerili adhuc corpore, cor Ipse gessit senile. Hinc infirma adhuc mente viriles surgunt animi sensus, festinis studiis, magisterio sollicito. Primi gressus timoris callem suscipiunt & Sanctitatis. Et sicuti Aquilarum soboles à primo Solis aspectu visum auspicantur; nec aliò deflectunt lumina, cum supremum in Jubar aciem firmiter semel intenderint, insito Matris ingenio; sic ANTONII affectus, & animi æternam solùm quæritant lucem, nec alium inspectant, quàm summæ Pietatis fulgorem. Non alibi Ipse, quàm in Deum dirigit cordis, & mentis oculos; solùm iter, solas vias sanctæ perfectionis metatus. Hæ desideria mentis, hæc insistunt fragrantia Animi incendia.

Jam sollicito, ac juncto nexu nascuntur fervor Martyrii, & Votum Religionis: cupiditate jam Martyr, compassivâ voluptate torquetur. Ardore patiendi fervet æmula Virtus, visis quinque S.S. Martyrum corporibus post monstruosam, diram passionem in Africa pro Religione susceptam. Jam carceri, jam vinclis electa stant viscera: Jam sævæ, jam ultimæ pœnæ, jam & neci parata sunt membra. Gaude felix Pietas, lætare sollicita Charitas; nec fies certaminis expers; neque concides, Tu, coronâ: nullius ibis vacua decoris: Laureola erit animo, quæ deerit corpori; arma geres, in bella rues Charitate, Sapientiâ munitus. Quod constantiæ membrorum subtrahitur, reddetur fortitudini mentis. Deficiente, quem vincas, Tyranno, de carne edomita, de

victo Mundo, de Dæmone profligato triumphales ages honores. Manet divino consilio, sanguinis effusioni pii amoris affluentia suffecta; sævitiæ tormentorum rigor disciplinæ; voluptati patiendi in corpore; cupiditas adjuvandi proximi, evangelizandæ Fidei, serviendi, placendi Deo. Evadet Martyrii fervor æstuans cordis ignitio; & singularis quæ fuisset Virtus constantia mortis, commune fiet, & superstes Ecclesiæ beneficium, vivens perenne integræ Charitatis documentum.

An hic pudore non afficiatur, Fratres, segnities nostra? Novus Miles ANTONIUS, suscepto nondum cingulo, dato nondum sacræ militiæ nomine, tam clara meditatur facinora; ubi nos diu casta sectati, jam armis susceptis, Templis, Altaribus tandiu addicti, Martyrii non solùm felici non fervemus æstu; sed ipsa inter pietatis Vota, in longa professione suscepta, frigidi, ac tepentes in pietate manemus. Utinam modò, undè tanta suspicimus exempla, & virtutem imposterum, accepto fervore, sumamus.

Inter tot desideria Pietatis prævalet Votum Religionis. Hinc fit Francisco ANTONIUS, Sacro Præceptori aptus Auditor, ac accensus adjutor operis: Filius obedientiæ, frater humilitatis, pater promiscuus communis salutis; comes in tantâ via, ac sacræ Familiæ administer. Debebatur Seraphico Cœtui hic Socius Angelicus! Jam adest studiis, & Artibus mens summoperè apta, appositè addicta doctrinis, ac laboribus Divinarum Literarum: Jam apparet sacrarum rerum meditationibus, Sancti Spiritus disciplinis, ac charismatibus exculta. Jam beato ardore corda succendit, piis, doctis muneribus tam idoneus, quàm propensus. Hic quis nobis referat officia in-

innumera non modò suscepta ; sed & peracta ? quis opera , & fructus ? quis narret præcelsa docti ingenii prodigia ? quæ radiaverint signa Virtutum , quà Academiarum exedris , quà suggestu Templorum ? Audiamus , quæ referat nobis Bononia , ubi primò præclara lumina fundens Orbem Seraphicum illustravit , publico splendens alloquio , communi rutilans documento. Orienti adhuc juventâ , meridianâ refulget doctrinâ ; dum publica luce aperit literarum ostena : Modò de lege differens , ut custodias ; de Charitate , ut ardeas ; de Cœlo , ut obtineas. Stuporem fundit ubi de homine condito , terrorem ubi de lapso , ubi de reparato solatium. Clementiam suadet , ejus referens beneficia ; arcet furorem , enumerans mala . Nunc mores edocet castos erudiens affectus : nunc alto dispensat eloquio libera Gratiæ munera : nunc stabili virtute immota sancit Justitiæ jura . Artium , doctrinarum sic fundamento locato struxit eximium Sapientiæ Domicilium ; quod Seraphico deinde , ac subtili excultum ornatu , præclarum evaderet , ac promiscuum doctæ pietatis , ac eruditæ fidei contubernium . Hæc Bononiæ refulgent publicâ luce.

Nec opus , ut nobis referant reliqua Italia, Gallia, Hispania , ac tota præsertim Lusitania qualia audierint, vel quanta Ipse cœlesti sermone dictarit. Nam & quod doctè , piè , mirabiliter Patavii gessit , & dixit , nec nos , nec alium , nec orbem ipsum universum latet , vel latere potest. Quàm singularis verò rutilat splendor inter nitorem Templi , in fulgenti concione ! O Beatum eloquium! O miram Divini Verbi eloquentiam! Nescias, magis an sit copia , vel viribus prævaleas ; magis disertus,

tus, an doctus; humilis magis, an pius. Differit enim ſermone integro, charitate fervidâ, pietate fœcundâ. Quà alit virtutem inſtruens mores; quà fugat nequitiam crimina evertens: Factus ſcutum Fidei; telum flagitio: Undique paci vigil, concordiæ excubans; facilis miſeris, durus improbis, rigens ſceleſtis. Tanta in Concione parit unicum ſacræ eloquentiæ inſtrumentum; docta ſcilicet, pientiſſima; admirabilis ANTONII LINGUA. Hæc quippe inſimul facta fons Doctrinæ, & Pietatis; varios effundit cordibus latices, mentibus flumina, unde piè, & largè ebibant: Sic facta viciſſim flagellum improbis, malis excidium. Apparet Ipſa gravis moleſtis, ſævis immitis, impavidis magis timenda; ſedans inquietos ubi percutientes concidit, vel ubi ipſos exterminat exterminatores: Telum, haſta, gladius ubique facta in vulnera reproborum. An non audiamus, ut Beato prænomine, Cœleſti Cognomento dictus eſt Malleus Hæreticorum? Quippe docta ſub incude ferreas mentes timore inflectit, & flagello; ictu ſævo impetens impiè invadentes Eccleſiam; & ubi nullus felix supereſt mollis flexus Charitati; ubi indulgenter minimè valet flectere corda; tunc duritiem duritie frangit; nec niſi abſumpto diſcedit ſcelere, pravitate contritâ; uſu tamen ſuavi; nec ab Amore diſſito: Nam qui à ſummo jam percepit Magiſtro Naturâ, ac manſuetudine Ovium vincere Lupos; mirabili æquè Virtute didicit molli duritie, ſæva pietate rigentia flectere corda.

At, quàm eſt formidoloſus ſceleſtis, ac pravis ANTONIUS, tam poteſtatis ejuſdem noviſtis, Fratres, Dæmonem meticuloſum. Dictus enim tàm Malleus Hæreticorum, & Improborum, quàm flagellum Dæmo-

monum. Infernæ namque nequitiæ telum simul, & fulgur factus; pio igne simul, ac robore deiicit, & comburit ignivomum; quà enim corripit, quà illum excruciat, quà evertit. Sæpè devicto prædone eripit prædam, sæpè fugato Lupo custodit Ovem, integro arcens ab ovili; furentem cohibens, confundens subdolum, plectens, conficiens grassantem. Sic Duce jam profligato ac unà corruente & jam dicta improborum hominum acie, cunctæ abscedunt nefariæ legiones, ut nulla jam ultra eo præsente, eo vidente, eo alloquente consistat. Uno agmine facto se fugæ dant, vel exilio: nulli superstites sunt Energumeni, vel sævi, molles, aut invidi hominum cœtus; nulla incolumis reproba cohors: Ubique solus apparet triumphalis hic admirabilis Ductor pietatis. Jacent enim depressa vitia, scelera contrita, pravi sublati mores: Nullus est ultra nequitiæ dominatus, hac imperante charitate, pietate, virtute.

Quàm verò improborum hominum, ac Dœmonum fuit flagellum ANTONIUS, tam securum extitit proborum asylum. Quantùm inimicus probitatis conatur evertere, tantùm Ipse roborat Fide; Potestate confirmat. Quà dejectos erigit, devictos liberat; quà auxilio tegit, ac gratiâ replet; undique reddens virtute incolumes. Tecnas aperit adversas, & dolos; ruinas simul, ac damna propulsans; faciens imperterritos malis, constantes adversis. Grassante morbo apparet Medicus, sæviente Tyranno Dux fortis, miles invictus: tàm paupertati invigilat, quàm excubat pudori: probitatem servat, dum nequitiam evertit: humilitatem, mansuetudinem custodit, ubi audaciam confringit. Obsessos liberat, cæcos illuminat, ac alios facit reduces sensus; Sic undique, ubique apparet quantùm

ina-

malis flagellum, tam bonis asylum. Oremus itaque humiliter, Fratres, ut valeamus & nos hæc mirabilia utiliter audientes, vel converti, si sumus mali; vel sospite gaudere perseverantiâ, si boni sumus, & cum virtute ambulamus. Hæc opera fuere externi colloquii apud homines, hæc signa temporalis Linguæ, dum adhuc juncta mortali manebat corpori: quæ Lingua nunc loquela facta Animorum, immortali resonat voce in Templis, & Aris. Jam cultum Pietatis oraculum, impetrans terris Cœlorum auditum; sospes, perenne gratiæ, ac charitatis eloquium.

At qualis fuerit ANTONIO, dum adhuc viveret, spiritalis animi sermo; & quomodo sibi ipsi spiritaliter loqueretur, nunc nobis erit audiendum. Hìc, Fratres, præclarum stat cordis alloquium: hæc cœlestis facundia, hæc Seraphici spiritus eloquentia: hìc verè, hìc appositè, in monte nempe Pauli in Æmilia, Apostolico more, ei patet frequens ad tertium Cœlum assensus, frequens raptus, & mentis excessus; frequentissima ad Deum humillimi cordis, & sensus elatio. In hac solitudine, non prælia sicuti Jacob, sed solum commercia gerit cum Angelis; assiduè quà mente, quà corde & Ipse Deum videns. Sydereus hìc sæpè adest Auditor differenti Charitati; hìc beata adest frequentia affluenti Pietatis, humilitatis alloquio: Non tam Propheticè hìc fatur de Deo, quam ascetico, spiritali sermone Deum ipsum affatur. Hìc ebibit Evangelii arcana abdito pectore; hìc suscipit casta Christi consilia, integra mente: Hìc accipit in monte apto, in monte suo, nempe ut fidelis Pauli imitator, arcana Verba, quæ non licet homini loqui. O quàm avidè, Fratres, supernæ hujus sen-

sum

tum loquelæ intelligeremus! At non cassa desideria, non sunt nobis planè irrita vota. Cœlestia colloquia nobis partim aperit Beata locutio. Adest ubi, superno ductu, Maximis Rostris excelsus declamator, Sanctissimis Subselliis pientissimus Orator, vox hæc intima, sermo hic sublimis à Summo Patre deprehenditur. Hinc nos humiles, ignari antea, docemur ineffabili teste, Magistra Fide. Pontificali voce Arca Testamenti dicitur, & saocitur ANTONIUS. In Dei Verbo declarando enituit, agnita est hæc Cœlestis Doctrina. O verè beatum Oraculum! O admirabile verè prænomen? Quid certiùs dictum, quid aptiùs appositum? An non arca Testamenti ANTONIUS, Sacrarum Scripturarum receptaculum, in quo sunt Divini Spiritus thesauri reconditi? Ipse enim Divinæ quasi sapientiæ domicilium, in quo degunt communi contubernio docta Fides, erudita Charitas, impolluta, intacta Religio. Arca verè dives innocentia, ac intemerato sermone; errori semper clausa, aperta semper Veritati; nunquam enim visa castitas sermonis abire, neque dolus ullus intrare: Ubi ornatus elegans docti eloquii, & copiosus sacræ eruditionis; promptuarium abundans universæ scientiæ, Pietatis: Arca verè Testamenti unà & Fœderis, ubi per ipsum piè sancita pace, vetera stant restituta, ac nova icta Dei, hominisque commercia; ubi promiscuæ Cœli, & Terræ, reparata obedientia, conditæ sunt societates. Magnum hic precium operis existeret, si intueri possemus, quæ præcipuæ tantæ Arcæ sint opes. At gratias Deo agamus, has nobis clavis aperuit Amoris simul, & obedientiæ: Communi enim hoc ipsi jubetur imperio, ut non solum ostendat hominibus, sed & eis geminos effundat thesau-

ros

ros; nempe documenta, & exempla! In his enim præcipuè datum Orbi agnoſcere tantæ Arcæ divitias in ſapientia ſcilicet, & gratiâ. Uti enim eximia Arcæ Teſtamenti ornamenta erant Manna, & Virga; nempè Virtutis poteſtas, & dulcedo gratiæ; ſic mirabilis utraque in ANTONIO refulſit. Virga namque in ipſo floruit, & manifeſta fuit, in aperta poteſtate in Dœmones, & in improbos homines; quorum omnium verè, ut jam docuimus, factum eſt flagellum; Sicuti in potenti æquè proborum defenſione, & cuſtodia, quorum fuit aſylum. In utroque enim, everſione nempe, ac tutela ſe virgam oſtendit, imperium, & poteſtatem exercens.

Fluens verò Manna apparuit, quia extitit cordis dulcedo, ros Charitatis, ac ſpiritale alimentum. Veluti enim delapſum è Cœlo humorem deguſtarunt, qui refectionem in paupertate, in malis præſidium ſenſerunt, largam gratiarum dulcedinem feliciter deguſtantes. Roſcidos quippe veluti favos manſuetudinem, & clementiam oſtendit; quas copioſè vel beneficio, vel auxilio humano affluere voluit. Modò enim felicem adverſæ valetudini fert opem, modò inſtanti ipſi morti timorem. Ambigas tamen magisne corporis, vel animi pellat languores; ægritudini magisne caveat temporali, an æternæ. Utroque enim homines gaudent; & triſtis animi pulſo contagio, & infirmi corporis de integro ſalute reſtituta: Ut plene ſoſpites, & validis ſimul diſcant conſiſtere, & valeſcere membris; ac deinceps degere Pietati æquè, ac probitati incolumes. Sic modò calamitatem reparat inducta lætitiâ, tranquillitate; felices faciens caſus adverſos; quieta pericula; jucundum in eventum triſti commutato diſcrimine. Sic modo revinctis vincula ſolvens libertatis

jura

jura restituit; solo obstricto fletu, miseria sola manente captiva: clausis ærumnis, dato carceri luctu, mirificè hilaritate, jucunditate solutâ. Necessitati interdum imperans, indulgentes jubet se præstare angustias, fletum inservire gaudio, consolationi famulari tristitiam. Ipsas resplendere facit & tenebras, reddito lumini lumine; ac cæcitate depulsâ, cassos prius, luce facit oculos nova reâ fulgere; Corporis unà, & mentis reparatâ claritate. Quid referamus vel amissa bona reddita Domino, vel mutila membra reddita corpori? occurrunt suis artubus obviæ, quæ disjunctæ prius partes, redit obstupentibus sensus, auditus auribus; & prius refugus, amoto obice, se denuò moventi festinus motus recurrit. Sic errore detecto, prius nescius, modò instanti cavet prudens periculo; dum æquè aperiens ANTONIUS latebras mentis tristem animi dispellit noctem, ægras cordis illuminat umbras, denuò inducto certæ Religionis radio, hæreticali caligine dissoluta. Sic salutaris ubique rutilat gloria miraculorum, & quasi humor spiritalis largitatis, ros benedictionis, ac verè manna mirabiliter affluit, delectat, & nutrit beneficio, dulcedine, & virtute.

Dum sic mirabiliter in ore ANTONII loquitur gratia, dicto audit ipsa Natura; & dum undique imperant signa, ipsa quoque parent & elementa; & à tam mirabili potentia, ac pietate novæ sumunt exordia obedientiæ: quà terræ, quà aeri fertilitatem, vel salubritatem restituens; quà Aquis procellas eripiens, & naufragia; quà flammis ustiones, incendia. Ut ignis, & æstus, fontes, & omnia, quæ moventur in aquis Dominum exaltent, ANTONIO in signis Illum mirabiliter glorificante; ac de Universa Terra, Universo de aere, Deo lau-

dem unà reddant ſerpentes, & volucres pennatæ, ANTONIO laudes ei mirabiliter præcinente.

Qualis modò pudor adſit, Fratres, proterviæ, ac tarditati noſtræ; quod ubi tanto ſignorum Operatori, & per quem etiam Deus ſit mirabilis in ſervis ſuis, morigeram ipſam Naturam in cunctis operibus ſuis, ac imperiis ejus parentem videamus; adhuc nos obſequentes non ſimus, & dum muta Animalia, inſenſibilia Elementa aures exhibent ANTONIO loquenti; nos quadam adhuc ſurditate laboremus, ſigna licèt admirantes; exempla licet videntes? Quot etiam deſuper ſentimus loquelas magis quam auribus, cordi datas, & illas præpoſterè ac quaſi quodam præterimus contemptu? An nobis ſacra deſint eloquia, & Prophetales voces, quæ vel à Terris revocent, vel ad Deum advocent? At ignava ſemper, & ſurda, adeſt ſegnities noſtra piæ, ac ſalutari Vocationi. Vocat è Cœlo Deus, vocat è Cruce Chriſtus; tamen neque Poteſtati Summæ, neque Summæ Miſericordiæ reſpondemus. Quinimò, & ubi tantam vim obtinent, ac tam blandè jubere ſolent eruditiones operum, ac exempla Sanctorum, adhuc & ſuper his tepet in nobis Animus, expers fervoris obedientiæ, tanta ab imitatione, & meditatione alienus: Sumus corde graves, auditu mentis immaniter læſi. Imperat ANTONIUS mari, imperat igni, reliquis imperat Elementis, & cuncta ſentiunt imperium; nos ſævientes adhuc tenemus in corde irarum tempeſtates, nec animo, ac inſtanti concordiæ reddimus tranquillitatem. Cupiditatis minimè flammas extinguimus, neque affectuum extuantes compeſcimus ignes, motuſque ſenſuum fervere adhuc, & ardere toleramus; & ubi nos ANTONIUS inſtruit bonus

nus donorum largitor, signorum, ac munerum de liberalitate, nos adhuc erga miseros, & erga egentes avaritiæ sumus laborantes, minimè debitâ affluentes misericordia, adhuc auri, adhuc divitiarum tenaces. Hunc tamen precemur humiliter, instanter, ut tam mirabilium Ipse patrator operum, & qui insensibilibus etiam mirum interdum donavit auditum in signis suis audiendis; & nobis ratione utentibus meliùs, feliciùs adesse dignetur; ne magis informiter deesse videamur, ubi bruta, ac informia non desunt. Et sit fructus noster mirabilis, inter tot mirabilia signorum, mirabilis in nobis imposterùm obedientia.

Jam adest finis Vitæ, non tamen Virtutis; immo in postremæ Vitæ actu, velut in miræ pietatis, & potestatis spectabili demonstratione, majora patrantur miracula. Piissimè accurrit ANTONIUS paterni Amoris, & calamitatis auxilio; nec voce, sed prodigio adest; Ut discant Filii, quantum deferre debeant paternæ Venerationi, ac Saluti. Voce, opere, ac humano usu reliquis in periculo constitutis feliciter consuluerat, capitali Parentis periculo fert opem integro ostento. Repentè præsens, ne tardet opem instanti morti: Immenso itinere summæ necessitati, festinus apparet: Præcoci auxilio, sollicita virtute repentino, urgenti, ac proximè extremo fato: Ulyssipone petita, Patavio non relicto, ne desit alicui, ut cunctis adsistat. Errorem ibi statim redarguit consiliis, veritate injustitiam; pietatis actor, innocentiæ tutor: pius sospitator Patri, æquus Judici consultor, improbo, malo testi accusator æquissimus, & invictus. Jam reddito è Sepulcris oraculo certam Patri vitam prænunciat, & servat. Repentè, illicò, actutum pergit ab amore delatus; Apparens ubi totus

tus non erat, eum suscitans, qui jam non erat, æquè visus ubi erat, & ubi non erat; ut veritatem perditam inveniret, justitiam ablatam restitueret, læsam repararet. Tanta æqui, piique, Sanctique Custos peragit, & Minister: In solo paternæ salutis opere tot signa patratus, ut universos filios debitam pietatem doceret; Universos falsos testes dedoceret improbitatem, & ut admirabilis semper appareret Deus in Sanctis suis, dans fortitudinem, & virtutem ANTONIO in tam mirifico itinere, opere, & auxilio.

Jam expletis prodigiis, jam demum exhaustis Signis, & Vita unà desiit: ætate sollicitâ, festinâ virtute, ac mirè tempestiva operis, & sermonis gratiâ: Tanta absolvens, ubi alii vix inchoassent. Juvenili quidem obitu, ætate celeriùs consummata, neque diuturna, si annorum numero sit computata apud homines; Venerabili autem, & summa senectâ, si is intelligatur cursus Vitæ, in quo cani sensus hominis, & ætas senectutis sunt Vita immaculata; sic enim consummatus brevi, explevit tempora multa, citò autem raptus, translatus, quia satis placitus erat Deo. Abiit itaque adulta virtute, Charitate virili, Spiritus ætate perfecta; & cum sanctiùs non posset, neque diutiùs valuit, aut voluit vivere. Cęlo, Superis jam diù debitus; Aris, ac Templis oppigneratus, impiger, alacris beatam Fidem absolvit. Prius tamen quàm eam impleret, doctæ, piæque hereditatis successores ex asse instituit posteros; scriptis editis, relicto publicæ luci tantæ Sapientiæ fulgore. Quod enim brevi datum fuit auribus, voluit perpetuo monumento datum & oculis; ac perenniter lectum, quod festinanter auditum: substituens perpetim

seros

feros nepotes in usu sapientissimo pientissimi censûs. Huic cognato funeri quasi visa parentare sydera, ubi miraculis jubent; ut justa signis persolvant. Sic obiit in osculo Domini, in Charitatis amplexu, Seraphicæ vitæ, operationis, & mortis Angelicus imitator. Potestate ac gradu ordinis minor, non Virtutibus, & signis: brevi distans hora à Beato Fundatore in vita sæculi, nihil in vita Christi, nihil in vita cum Patre: collactaneus pietate, & gratiâ, ut simul & cultu eodem enim anno ablatus Mundo, & redditus Aris: celeris sanctitatis, sollicitæ Adorationis ostentum. Ortu, vitâ, obitu semper, & appositè Thaumaturgus; undique factis, gestis, Virtute, gratia admirabilis.

Reliquiæ incolumes aptè, in plenitudine Charitatis, dilectioni Patavinæ Beato munere exhibitæ. Lingua cœlorum eloquentiæ, Superni olim instrumentum Sermonis junctim data, adscripta, præsidio immortali, ac decori felicissimo Antenoreæ Doctrinæ, & eloquii; quæ facta modò custos silens, sed vigil, & felix excubiis; modò auspex multiloquus, doctæ, sapienti, ac publicæ facundiæ.

Superest tandem, Fratres, ut corde obsequenti, humili prece D. O. M. sollicitemus, qui est mirabilis in Sanctis suis, & dat fortitudinem plebi suæ; ut in tam admirabili Sancto visam præstet sanctitatem sectari, ac in tam multiplici ejusdem operatione effectum, usumque felicem ejusdem Virtutis, & gratiæ perfectè assequi. Et præsertim, quia tam festinus in pietate, sollicitus in Charitate fuit, & gloria Sermonis; & nos pariter moram omnem relinquentes, sacro itinere feliciter properantes, impigrè, sedulò, festinanter servia-

mus

mus Domino. Et ficuti velociter currit fermo ejus, quia velocem defiderat fequentem habere, nos pariter fimus tam accuratè, tam properè piis in geftis fequentes ANTONIUM, quantùm virtute, Sermone, opere, fignis, & gratiâ ipfum vidimus mirabiliter præcedentem.

PATAVII, Typis Jo: Baptiftæ Conzatti. MDCCXXVII.
*Superiorum Permiffu.*